



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Jacobi Alvarez de Paz Opera

De Exterminatione Mali, Et Promotione boni - Libri quinque

Álvarez de Paz, Jacobo

Lvgdvni, 1613

De vitæ spiritualis actibus innouandis. Cap. 3.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77843](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77843)

facile esse docuerunt, & tam audacter omnibus imperarunt? Et illi quidem dixerunt, sed non fecerunt: nos autem nouimus non adolentes solum, sed fenes doctissimos & probatissimos, qui non sine admiranda humilitate hoc documentum obseruarunt. Quorum tam eximia est virtus, tam insignis animi puritas, qualis esse intelligitur in tanta humilitate fundanda.

Hoc tu imitari non erubescas, vt consimilem virtutem consequaris, nec indignum putes illos conuersatione sequi, quorum vitam & mores admiraris. Et, si in illis hac insignis humilitas audita placet, cur eadem ad te trāsata, & ad opus redacta, displicet? Nisi fortē humilitas & sapiens defectuum manifestatio ad hoc a Deo inspirata sit, vt audiatur, & narretur, non verō vt operibus exerceatur. Audi tandem Climacum quibus verbis te ad hanc manifestationem impellat. Noli o fili atque Domino obediens, spiritu elationis decipi, neque peccata tua veluti ex persona alterius magistro denunties. Neque enim licet absque verecundia rubore aeterna confusione liberari. Aperi, denuda, detege medico vulnus tuum. Dic, age, noli confundi. Meum vulnus est pater, mea plaga, cuius mihi causa fuit, non alterius, sed mea negligentia. Nemo huius author extitit, non homo, non spiritus, non corpus, non aliud quidquam nisi desidia mea. Esto, dum confiteris, habitu, spe, cogitatione, vt condemnatus reus, demissis in terram luminibus, atque si fieri potest magistri, aut medici pedes, vt Christi pedes, lacrymis riga. Solent nonnunquam daemones nos vt aut non confiteamur, hortari, aut certē vt hoc veluti ex alterius persona faciamus, siue vt alios quosdam peccati nostri insimulemus auctores. Sicut certum est consuetudo plurimum valet, vt cuncta ex ea pendunt eamque sequuntur; omnino longē amplius ea valebit in bonis, cum potentissimum habeat adiutorem Deum. Noli o fili, annis plurimis laboras lassescere, donec in te ipso beatissimam inuenias requiē. Quōd si te ipsum in initio toto animo ignominii exposuisti, ne indignum putes, adiutori ac magistro tuo, tanquam Deo, vultu animoque demisso culpas tuas confiteri. Vidi enim reos quoque miserabili omnino habitu, vehementioriq; confessionis & supplicationis vi duritiam ac feruitatem emolliuisse iudicis, illiusque iracundiam in misericordiam conuertisse. Quocirca Ioannes quoq; Domini praecursor, antequā Baptismi lauacra donaret, ab accedentibus confessionis humilitatē requirebat. Non quidem vilo eorū ipse indigens, sed eorū saluti modis omnibus consulens. Huius sanctissimi viri dictis acquiescere, & modis omnibus conscientiae abdita Praelato reuelare non metuas. Deus ipse adest tuos sermones audiens, tuam summisionem approbans, tuam animam virtute humilis manifestationis emundans. Ille Praelato non tui contemptum, sed aestimationem, non odium, sed amorem immittit. Et dum tu illi dicis miseras tuas, dicit Dominus ipsi; Considerans te ipsum ne & tu tenteris. Ipse etiam tibi dona sua quorum causa angebaris, benignē concedit. Est enim apud ipsum valida oratio, & efficax postulatio conscientiae detectio. Quōdque fletibus, & corporis afflictione, & assiduis postulationibus, & aliis remediis non vicisti, humili defectus apertione superabis. Videbis profectō Dominum esse amatorem humilium, qui humili peccatori consenti, & vulnus aperienti, remedium adhibet; superbo autem suarum culparum dissimulatore, in sordibus volutari permittit.

Clim. de obediens. grad. 4.

Matt. 5.

Gal. 6.1.

De vita spiritalis actibus inuouandis.

CAPVT III.

NTER motum a natura profectum, & aliqua externa vi contra naturam corpori violenter impressum, hoc Philosophi discrimen inuenerunt, quōd ille (vt vel oculis ipsis perspicitur) in fine celerior ac velocior est: iste verō quo magis protrahitur, eo est cunctantior & segnior. Si moles magna naturaliter ē superis deorsum descendat, celeriter moueri inchoat: at quo propius ad centrum accedit, eo velocius vt in eo quiescat, motū perficit & consummat. Sed si lapis violenter sursum proiectus feratur, magna celeritate ascendere incipit, at post parum remisso impetu suo pondere grauatus lassescit. Hinc necessitas spiritus inuouandi nobis non obscure patescet. Natura enim nostra per peccatum corrupta in hoc malum certē maximum incurrit, quōd deorsum ire, & ad vilia & abiecta saeculi huius descendere, quasi naturale illi est; sursum verō ferri, & ad spiritalia & caelestia anhelare violentum. Est quidem virtus secundum naturam rationalem hominis, vt Thomas Aquinas non minus verē quam subtiliter disputat; & vitium ac peccatum, contra naturam; quia verō per originalem culpam primi parentis appetitus a ratione defectit, & iugum eius excussit, & rationem quasi sua importunitate & immoderantia subiecit: hinc ortum habet vt homo, cui appetitus dominatur, virtutem tanquam insulam horreat, & in vitia ac peccata veluti in alimenta suauius propendat. Inclinator ergo & propensus ad malum, quo nequior est, eo vehementius & effrenatius in malum tendit; & ex parte appetitus auersus a vero bono, quo diutius in illud fertur, eo tardius & tepidius ire se sentit. Quid itaque faciet spiritalis vir, vt semper proficiat, vt semper non lentis passibus in perfectionem eat? Illud quidem quod iaculator, vt sagittam per multa terrarum spatia proiciat. Vt quemadmodum iste primum sagittam quanto potest impetu versus locum a se destinatum iacit, & iam deficientem & in terram cadentem, iterum leuat, & proicit, & sic multoties impetus impressionem multiplicans, ad finem sui itineris ludens & semetipsum oblectans, mittit; sic iustus ad perfectionem contendens, in initio conuersionis suae mentem suam magno feruore quasi impresso impetu ad destinatam puritatem iaculatur, & post aliquot menses tepescit, nouo feruore concepto, versus eandem puritatem impellit, & sic per tempora feruorem inuouans, ad magnam perfectionem peruenit.

Huius vita mortalis proprium est vt omnia senescant, & sensim ad interitum eant: nullisque aduersum nos emergentibus incommodis, sola temporis lapsione ad senectutem tendimus, & ad mortē properamus. De ipsis caelis incorruptilibus dixit sanctus Dauid: Opera, Domine, manuum tuarū sunt caeli, ipsi peribūt (quia a praesenti statu mutabūt) tu autē permanes, & omnes sicut vestimentū veterascēt. Et sicut opertorū mutabis eos. Si autē caeli quasi senescēt, quia mutatione & inuouatione indigebūt, quāto magis corruptibilia ad vetustatē festinabūt: vel si per caelos, vt August. mysticē vult intelligi, Sanctos intellegamus, illi certē nō tarum quātum ad corpus, quod instar vestis attrahitur, sed etiam quātum ad spiritualem animae vitam, quasi ad senectam & vetustatem eunt, quia nonnullam qualitātē corrupeibilem mutantes, ad tepiditatem segnitēmq; proficiantur, & mundi curis facientibus, ab illo primo quo inchoarunt feruore deficiunt: donec impleatur illius Psalmi postre-

D. Thom. 12. q. 71. a. 1.

Pf. 101. 26. 17.

Aug. 11.

De Vita
Tom. I

ma prædictio: Filij seruorum tuorum habitabunt, id est, in celesti patria ad destinatam mensuram sanctitatis prouecti, stabiles & immutabiles permanebunt, [& semen eorum in sæculum dirigitur.] Habitabimus sanè in illa domo Dei, si filij seruorum, id est, Apostolorum, imitatione fuerimus. Habitabimus, si femina nostra, id est opera nostra, innouauerimus, quæ nos ad regnum præcedant, & domum præparent. Noli ergo esse sterilis, ait Augustinus: si vis habitare: præmitte fetus quos sequaris, præmittendo, non ferendo. Filij tui te deducant ad terram promissionis, terram uiuentium, non morientium. Cùm hęc uiuis in hac peregrinatione, illi antecedant, suscipiant te propter refectiorem carnalem. Filius Ioseph antecessit Iacob in Ægyptum, & ait patri suo & fratribus suis, Ego præueni præparare uobis escas. Præcedant ergo filij tui, præcedant opera tuæ, quales filios præmieris, talis & sequeris.] Hac itaque conditione mortalium nos Ecclesiasticus ad iustitiam prouocat: Da, & accipe, inquit, & iustifica animam tuam.] Quis prohibet si ita interpretemur: Accepisti à Deo auxilium ut bene operareris: Da igitur illi bona opera, & cooperare gratiæ susceptæ ut iterum nouam accipias, & sic ad veram iustitiam & sanctitatem peruenias. Ante obitum tuum operare iustitiam, quia non est apud inferos, id est, in sepulchro, & post mortem, inuenire iustitiæ & bonorum operum cibum. At si irreperit lassitudo, & vigor interperit, te ipsum iterum excita, & ad fortiter & strenuè operandum coge. Quia [omne opus electum, id est, feruidè factum iustificabitur, & qui operatur illud, honorabitur in illo.]

Hanc desideriorum & bonorum operum innoationem uiri iusti & spiritualis salutis cupidi semper utilissimam putauerunt. Vnde Paulus de se ac de iustis loquens, ait: Propter quod non deficiamus, sed licèt is qui fortis est, noster homo, corrumpatur, tamen is qui intus est, renouatur de die in diem.] Quia spem, ait, resurrectionis habemus, propterea non deficiamus, sed licèt caro nostra laboribus afflicta per singulos dies veterascat, spiritus uerò quotidie nititur iuuenescere, ad maioremq; splendorem & feruorem venire. Qui, ut inquit Anselmus, renouatur quotidie proficiens in sanctitate, dum transfert amorè à temporalibus ad æterna, à uisibilibus ad intelligibilia, à carnalibus ad spiritualia, & ab istis cupiditatem frænare vel munire, atque illorum se charitate alligare diligenter insistit.] Hanc autem innoationem esse bonorum celestium à nobis desideratorum exordium regius Vates non obscure significat: Benedic, ait, anima mea Domium, qui replet in bonis desiderium tuum, renouabitur ut aquila iuuentus tua.] Tunc scilicet ò anima immensis bonis repleberis, cùm instar aquilæ renouaberis. Sed quæ est ista aquilæ renouatio: Hieronymus certè de aquila hæc scribit: Aquila quando senuerit, grauatur ipsius pœnæ & oculi, quæritque fontem, & erigit pennas, & colligit in se calorem, & sic oculi eius sanatur, & in fonte se termergit, & ita ad iuuentutem reddit.] Augustinus uerò sic: Dicitur aquila, cùm senectute corporis pressa fuerit, immoderatione rostri crescentis cibum capere non posse. Pars enim rostri eius superior, quæ supra partè inferiorem adunatur, cùm præ senectâ immoderatus creuerit, longitudo eius incrementi, non eam finit os aperire, ut sit aliquid receptaculi interuallum inter inferiorem partem, & uicium superiorem. Nisi enim aliquod interuallum pateat, non habet morsus, quasi forcipem, unde uelut tondeat quod transmittat in fauces. Crescente itaque superiori parte & nimis aduncata, non poterit os aperire, & aliquid capere. Hoc facit uerustas. Prægrauatur languore senectutis,

A & inopia comedendi languescit nimis, utraque re, arate & egestate accedente. Itaque modo quodam naturali in mensura reparatæ quasi iuuentutis aquila dicitur collidere & percutere ad petrâ ipsam quasi labium suum superius, quo nimis crescente edendi aditus clauditur, atque ita conterendo illud ad petram excurit, & caret prioris rostri onere, quo cibum impediatur. Accedit ad cibum, & omnia reparatur, exit post senectutem, tanquam iuuenis aquila. Redit vigor omnium membrorum, nitor plumarum, gubernacula pennarum, volat excelsa sicut antè, fit in ea quædam resurrectio.] Hæc est ergo spiritualis renouatio, si te ò anima aquis compunctionis immergas, si nouum feruoris calorem concipias, si veteres pennas, id est, contractam ex occupationibus uetustatem, pellas, si rostrum, nempe ea quæ te à sumendo cibo orationis impediunt, constanter abicias. Tunc desideria perfectionis sopita se erigent, tunc quod cupiebas, quod postulabas, pro quo lugebas, & gemebas, à Domino consequeris. Tunc canes cum sancto Iob: Gloria mea semper innouabitur, & arcus meus in manu mea instaurabitur.] Nam si gloria, honorem ac dignitatem, & arcus, fortitudinem & robur significant: certè dignitatem auges & fortitudinem prouehis, aut hæc à Domino aucta experiris, cùm feruorem & deuotionem augere contendis.

Vniuersa quæ in hac mortali uita esse habent, aliquando innouantur, ne pereant; & quæ non innouantur, quantumuis diuturna sint, tandem intereunt. Regna innouantur, & ideo Samuel ad Populum ait: Venite, & eamus in Galgala, & innoemus ibi regnum.] Ciuitates reedificantur: quare Ionathas habitaturus in Ierusalem, cepit edificare, & innoare ciuitatem. Tempa instaurantur, nam & Istraëlita post captiuitatem uenerunt [innoare, & suscitare templum in loco suo. Amicitia refarciuntur: unde & Ionathas misit viros Romam, statuere & renouare cum eis amicitiam.] immò & ipse homo post peccatum è Paradiso eiecctus est, ne se esu ligni renouans, etiam quoad corpus in perpetuum uiueret. Denique [misit illum Dominus Deus de Paradiso voluptatis,] & antea præmiserat, nunc ergo ne fortè mittat manum suam, & sumat etiam de ligno uitæ & comedat, & uiuat in æternum. Qui ergo uult perfectè uiuere ad constituta tempora se ipsum, renouet. Innouet regnum suum, quo super cor suum & affectus eius regnat. Reedificet ciuitatem animæ suæ, & quod ex uirtutibus lapsum per incuriam est, erigat. Instaurat templum spiritus sui, in quo habitat Deus, & Sanctorum desideriorum accessione extruat. Amicitiam ad Deum aliquantulum tepescantem, actibus orationis accendat. Mittat per imitationem Christi manum suam ad lignum uitæ, ut postmodum feliciter, & nunc in hac uita uiuat, ut sanctum deceat uirum, & contractas ex humana conuersatione imperfectiones relinquat. Si inueterauit inter inimicos suos, id est, inter immoderatos affectus, & assiduas imperfectiones suas, ut iuuenescat, & renouetur, ab eis toto conatu discedat. Hoc enim esse ad iuuentutem, aut ad sapientem infantiã, redire, docet Petrus Apostolus, dum ait: Deponentes omnem malitiam, & omnem dolû, & simulationes, & inuidias, & omnes detractiones: sicut modò geniti infantes, rationabiles, sine dolo, lac concupiscite.] An non sapiens infantia est, quæ non quodcumque lac, licèt palato suaue, sed lac rationabile, lac sine dolo, lac, quo crescat in salutem æternam, concupiscit? Sed hanc profectò induit, qui peccata & imperfectiones deponit, & quod melius & perfectius est, uirtutis assumit.

Pf. 101.
29.
Aug. ib.
Ecl. 14.
16.
Ecl. 14.
21.
1. Cor. 16
Aug. ib.
Pf. 102.
5.
Hier. ad
Drafsiũ
Tom. 4.
Aug. in
Pf. c. 2.

A
B
C
D
E
Iob. 29.
20.
1. Reg. 11
14.
3. Esd. 5
44.
1. Mach
12. 1.
Gen. 3.
22. u. 21.
Ezal. 6. 8.
1. Petr. 2.



Iam igitur audi, o religioſe, quando & quomodo te renouabis. Omne tempus huius vitæ, tempus inno- uationis eſt, quod ad hoc nobis conſeſſum eſt, vt vetuſtatem hominis terreni deſeramus, & nouum hominem Chriſtum ſequentes in nouitate vitæ ambulemus. Sed quia hoc loco de ſpeciali quadam in- nouatione loquimur, qua aliquantulum tepefacti ad priſtinum feruorem redimus, ea frequenter aſſu- menda eſt, quia frequenter cadimus, & non multis diebus in deſideriis perfectionis in tepeſcimus. Et quidem Thomas à Campis author piſſimus circa præcipuas Sanctorum ſolenitates huic inno- uationi inſiſtendum præcipit. Circa principalia feſta, in- quit, renouanda ſunt bona exercitia, & Sanctorum ſuffragia feruentius imploranda. De feſto in feſtum proponere debemus, quaſi tunc de ſæculo migraturi ſimus, & ad æternum feſtum peruenturi.] Sed vt ali- quid facilius dicamus, ter, aut bis, aut ſaltem ſemel, debes ſingulis annis te in nouare, & quaſi noua in- dumenta virtutis induere. Si enim per ſingulos an- nos hyeme & vere indumenta corporis mutas, & ea pro temporis neceſſitate in nouari vis, cur non etiam veſtimenta animæ reſarciſ & in melius in nouata mutabis?

Thom. à
Camp. li.
1. de con-
temp. mü
di c. 19. 3

Bern.
tract. de
gra. & li.
arbitr. ad
finem.

Amb. lib.
de inter-
pell. Da-
uid.

Ephr.

In quibus autem poſita ſit renouatio, Bernardus in hunc modum docuit: In his tribus interior re- nouatio conſiſtit, reſtitutione ſcilicet intentionis, puri- tate affectionis, recordatione bonæ operationis, per quam ſibi bene conſcia memoria eniteſcit.] Sed li- ber eam ad captum noſtrum accommodatiſ explicare. Ad ſpiritus igitur renouationem hæc facies: Ali- quot dies ad rem hanc faciendam tanquam ad ma- gni momenti negotium aſſumes, in quibus licet ab ordinariis occupationibus non te ſubtrahas, tamen ſollicitus te in ſolitis deuotionis officiis exercebis, & quæ ad te pertinent, accuratiſ tecum ages. His die- bus attentè vitam tuam diſcuties, mores inſpicies, conuerſationem euolues, religioſorum votorum ac propoſitorum tuorum à te rationem exiges, & an conſtans in eis fueris, an ſecus; an ritè ſeruaueris, an verò tranſgreſſus in aliquo fueris, tecum expendes. Poſtea ad Prælatum, vel patrem ſpiritualem, accu- res, illique te ipſum aperies, conſcientiamque mani- feſtabis, & vulnera deteges, vt conſilio & oratione, & aliis medijs tibi opem afferat. Ideo enim conſcientiæ manifeſtatio huic inno- uationi præmiſſa eſt, vt eam ad hoc tempus pertinere intelligas. Deinde pec- cata tua, ac defectus, quos deprehenderis, in vnum colliges, & ſi ita conſuetum fuerit, vel tibi libuerit, conſeſſione generali, aut ſaltem amariffima contri- tione, & ſteibus dilues. Nam, vt inquit Ambroſius, rectè renouatur, qui de tenebris peccatorum in lu- cem virtutum mutatur, & gratiam, vt qui reſtra prius colluione ſordebat, ſupra niuem albenſi nimis ful- gore reſplendat.] Si in ſeruandis votis religioſis mi- nus fidelis fueris, ſi bonis propoſitis minus conſtans, de hoc vehementer etubeſces. Si enim Eſau (vt in- quit magnus Ephraim) ab his quæ cum damno ſuo pepigerat, recedere noluit, quomodo tu pauca quæ pro ſalute tua feciſti, rumpere audebis? Si Herodes, quæ in ſuam promiſerat perniciem, ſeruauit, & tu à ſcæderibus, quæ æterna vitæ gratia pepigiſti, reſilies.] Item ac ſi tunc primùm votis te obſtrinxiſſes, aut propoſita feciſſes, ea ſic deinceps, fideliter, conſtan- ter & ſeruè ſeruare conſtitue. Vide quanto ſeruo- re, quanta deuotione iter vitæ ſpirituales cœpiſti, & nunc huius inno- uationis tuæ tempore te ipſum vin- cere cura, & maiori ſollicitudine ac vigilantia proſe- cere. His actis aliquo ſolemni die, quin illud tempus incidat, ac ſi tunc profeſſionem religioſam feciſſes,

eam apud Dominum, quem præſentem conſideras, etiam vocaliter repetes, quæ ſtatuiſti vitare ac facere, iterum ſtatues, & quaſi de nouo te ad perpetuum ob- ſequium Domino conſecrabis. Eo die immenſas gra- tias illi ages, quòd te ad vitam religioſam vocauit, quòd te ſibi votis religioſis ac profeſſione ligauit, quòd tot annis tuam ingratiſtudinem negligentiam- que ſuſtinuit. Ora cum vt ampliſ te expectet, vt gratiam ad incipiendum & ſanctè conuerſandum tribuat, & vt cœpta perficiat. Hæc eſt formula ſpi- ritualis renouationis ſingulis annis bis aut ſemel faci- enda, quam ad praxim redactam, & ignitis aſpi- rationibus ac feruentiffimis pre- cationibus diſpoſitam, in ſecundo exercitio, quod vocatur ſpirituales de- ſponſationis, & in tertio, quod vocatur profeſſionis animæ erga Deum, Beatæ Gertrudis, inuenies. Quan- ta autem ſit huius inno- uationis vtilitas, non eſt no- ſtrum explicare, vt re ea, & tu ipſe fructum expe- rieris.

De ſeſſione ab occupationibus, ſingulis annis facienda.

CAPVT IV.

NON ſufficiunt hæc omnia, quæ diximus, fragilitati noſtræ, vt ſe ſemper à ſegnitie & multiplici imperfectione contineat. Quare per ſingulos annos ad octo vel plu- res dies omnino vacandum eſt, & ſpiritu quieſcen- dum, ac penitus ab omni externa occupatione ceſ- ſandum, vt mente caleſcamus, & à torpore libere- mur. Iſtud profeſſo ſaluberrimum documentum non ex alio quàm ex Euangelio ipſo & Sanctorum exemplo didicimus. Cùm enim conueniſſent Apo- ſtoli ad Ieſum, vt renunciarent ei, quæ (ipſo mitten- te) uegetant & docerant, dixit illis: Venite ſeors- um in deſertum locum, & requieſcite pauillim: non ſolum vt corporis vires reſumerent, ſed multo magis vt ſpiritu reſcicerent, & ſe ad primum ſeruo- rem, ex occupatione languentem, reuocarent. Hunc ſenſum indicat Theophylactus, ita ſcribens: Apoſto- li poſtquam prædicauerunt, congregantur apud Ie- ſum, vt & nos diſcamus, ſi quando in miniſterium mittamur, ne nos totos ab eo qui mittit, abripiamus, ſed illum ſciamus, caput, & ad illum redeamus, an- nunciemusque ei omnia, quæ vel docuimus vel feci- mus. Neque enim ſatis eſt, ſi doceamus, niſi & fecerimus. Quieſcere autem facit Chriſtus diſcipulos, vt ſciant Prælati laborantes in verbo & doctrina, di- gnos quibus detur ſua quies, & non ſemper inten- dant laboribus.] Et ſane optimo iure Dominus Apo- ſtolos ad ſeſſum inuitauit, vt tam illis quàm nobis conſuleret. Illis quidem, nam cùm nondum eſſent perfe- cti, & humanis affectibus ſubiacerent, erant per ſilentium & quietem, & contemplationis ſtudium, ab ea quæ ſe miniſteris animarum immiſcet, diſtra- ctione curandi. Nobis verò, vt ex Apoſtolis, ex mi- niſtrorum ſcilicet Euangelij magiſtris diſceremus, quomodo oporteat nos animarum ſaluti vacare, & ad tempus nos ad ſilentium recipere, & ad reſcien- das animæ vires in iugi contemplationis exercitati- one quieſcere. Si enim ſemper effundimus, & nui- quam, aut parum in fundimus, meritò timendum eſt, ne pauperes & vacui maneamus. Id eſt, ſi ſemper mens curis animarum & ſalutis aliorum, negotiis di- ſtenditur, & parum vires ſpirituales auget, vt oneri portando ſufficiat, formidare debet ne aliquando onere preſſa ſuccumbat. Ergo præter communia

Marci 6.
31.

Theophyl.
ibid.

orationis